

*Sicut suggestum concionatores non cogit vera docere; ita neque cathedra Moſis coëgit Phariſaeos, & ſcribas docere vera.* Vocula itaque πάντες non erit absolute univerſalis, ſed reduplicationem quandam includet, ex praecedentibus repetendam. Quamdiu cathedrae Moſis conformiter docebant, tamdiu erant audiendi Phariſaei. Simulac cathedram Moſis deſerebant, obediendum erat magis Deo, quam hominibus Act. V, 29. nam extra cathedrae doctrinam erant coeci duces, h. C. v. 16. erant fermento, a quo cauendum erat, infecti, Matth. XVI, 12. erant negligendi, Matth. XV, 14. Verbo, quando impia docebant, non erant audiendi, vt loquitur *For. Con. l. c.* Nec aliter ſenſit ipſe ERASMVVS *vid. Tom. IV. Bibl. Crit. ad b. l.* Neque tamen deſunt, qui, velut in defectu peccantes, excludunt ab hoc mandato ceremonias, & alia praecepta, quae ad tempus data fuerunt. Ita CHRYSOSTOMVS, inductus, vt *Scholias* ejus in *Cat. PP. in Matthaeum T. I. p. 301.* putat, locis, Matth. XV, 11. & XXI, 12. Recte vero, hanc ſententiam ſibi non probari, ſcribit MALDONATVS. Nam, vt de ceremoniis taceam, quas & Chriſtus ipſe vsque ad mortem, & apoſtoli multas obſervarunt, etiam lex forenſis, totaque adeo Judaeorum Synagoga ad tempus tantum data fuit. At enim vero, vti Synagoga a Deo ipſo fundata, divina auctoritate armata, & ad Chriſtum vsque conſervata fuit: ita conſtitutioni ſuae id honoris dare voluit Deus, vt non vno eodemque tempore abrogaretur, ſed vt primum aduentu Ioannis, & Chriſti, veluti aegritudine correpta, langueretur; moriente vero Chriſto, ipſa quoque emoreretur; tum demum, ſplendidam conſecuta ſepulturam, poſt duo & amplius ſaecula interiret, & in cineres redigeretur.

§. VII. Vocis ἐπιτιμία ſignificationem *iubendi* valde vrget, dictus antea, Iprenſis Epicoſopus; retinet eam, cum aliis, quippe nobis non aduerſantem, GERHARDVS; negligit